Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

spacia diffusa est. Et clamasti de longinquo. immo vero ego sum
qui sum. Et audivi sicut auditur in corde. et non erat prorsus unde du
bitarem. faciliusque dubitarem me vivere quam non esse veritatem que
per ea que facta sunt intellecta conspicitur. Et inspexi cetera infra te.
et vidi nec omnino esse. nec omnino non esse. esse quidem quoniam abs te
sunt. non esse autem quoniam id quod es non sunt. Id enim vere est quod incommutabiliter
manet. Mihi autem inherere deo bonum est. quia si non manebo in illo.
nec in me potero. Ille autem qui in se manens innovat omnia et
dominus meus es quoniam bonorum meorum non eges. Et manifestatum est mihi quoniam
bona sunt que corrumpuntur. que neque si summa bona essent. neque nisi
bona essent corrumpi possent. quia si summa bona essent incor
ruptibilia essent. si autem nulla bona essent quid in eis corrumperetur
non esset. Nocet enim corruptio. et nisi bonum minueret. non noceret.
Aut igitur nichil nocet corruptio. quod fieri non potest. aut quod certis
simum est omnia que corrumpuntur privantur bono. Si autem omni
bono privabuntur omnino non erunt. Si enim erunt et iam corrumpi
non poterunt meliora erunt. quia incorruptibiliter permane
bunt. Et quid monstruosius quam ea dicere omni bono amis
so facta meliora. Ergo si omni bono privabuntur omnino nul
la erunt. Ergo quamdiu sunt bona sunt. Ergo quecumque sunt bona sunt.
malumque illud quod querebam unde esset non est substantia. quia
si substantia esset bonum esset. Aut enim esset incorruptibilis sub
stantia. magnum utique bonum. aut substantia corruptibilis
esset. que nisi bona esset. corrumpi non posset. Itaque vidi et manifes
tatum est mihi. quia omnia bona tu fecisti. et prorsus nulle sub
stantie sunt quas tu non fecisti. Et quoniam non equalia omnia fecisti.
ideo sunt omnia. quia singula bona sunt. et simul omnia valde
bona. quoniam fecit deus noster omnia bona valde. Et tibi omnino
non est malum. non solum tibi. sed nec universe creature tue